

P. TERENTI AFRI

- perfecti ut spectarentur : ubi sunt cognitae, 20  
placitae sunt. ita poetam restitui in locum  
prope iam remmotum iniuria advorsarium  
15 ab studio atque ab labore atque arte musica.  
quod si scripturam sprevissem in praesentia  
et in deterrendo voluissem operam sumere, 25  
ut in otio esset potiu' quam in negotio,  
deterruissem facile ne alias scriberet.
- 20 nunc quid petam meã causa aequo animo attendite.  
Hecyram ad vos refero, quam mihi per silentium  
numquam agere licitumst ; ita eam oppressit calamitas. 30  
eam calamitatem vostra intellegentia  
sedabit, si erit adiutrix nostrae industriae.
- 25 quom primum eam agere coepi, pugilum gloria  
(funambuli eodem accessit expectatio),  
comitum conventu', strepitu', clamor mulierum 35  
fecere ut ante tempus exirem foras.  
vetere in nova coepi uti consuetudine
- 30 in experiundo ut essem ; refero denuo.  
primo actu placeo ; quom interea rumor venit  
datum iri gladiatores, populu' convolat, 40  
tumultuantur clamant, pugnant de loco :  
ego interea meum non potui tutari locum.
- 35 nunc turba nulla est : otium et silentiumst :  
agendi tempu' mihi datumst ; vobis datur  
potestas condecorandi ludos scaenicos. 45  
nolite sinere per vos artem musicam  
recidere ad paucos : facite ut vostra auctoritas  
40 meae auctoritati fautrix adiutrixque sit.